

The Electronic *Manipulus florum*

www.manipulusflorum.com

Bellum af cum fonte primo

Nichil magis prodesse constat in pugna
quam ut assiduo exercicio milites
in acie dispositos ordines seruent.

Nam et constipati perdunt spacia pugnandi
et sibi inuicem impedimento sunt
et rariores atque interlucentes aditum
perrumpendi hostibus prestant.

Instructionis igitur lex est.
Nam apud ueteres

singuli armati in directum ternos
pedes inter se occupare consueuerunt,
hoc est, in mille passibus mille sexcenti
sexaginta sex pedites ordinantur in locum
ut nec acies interluceat
et spatium sit arma tractandi.
Inter ordinem autem et ordinem a tergo
in latum sex pedes distare uoluerunt
ut haberent pugnantes spatium
accedendi atque recedendi.
Vehementius enim cum saltu cursuque
tela mittuntur.

Vegecius ibidem (de re militari libro I.) capitulo
XXVI.

Nihil magis prodesse constat in pugna
quam ut assiduo exercicio milites
in acie dispositos ordines seruent,
necubi contra quam expedit aut conglobent
agmen aut laxent.

Nam ut constipati perdunt spacia pugnandi
et sibi inuicem impedimento sunt,
ita rariores atque interlucentes aditum
perrumpendi hostibus praestant;
necesse est autem statim metu universa
confundi si intercisa acie
ad dimicantium terga hostis accesserit.

Publius Flavius Vegetius Rhenanus, *Epitoma rei
militaris*, 1.26.1-3 (M.D. Reeve ed., p.28, ll.12-
19).

Instructionis lex est
ut in primo exercitati et veteres milites
collocentur, quos antea principes vocabant,
in secundo ordine circumdati catafractis
sagittarii et optimi milites
cum spiculis vel lanceis ordinentur,
quos prius hastatos vocabant.
Singuli autem armati in directum ternos
pedes inter se occupare consueuerunt,
hoc est, in mille passibus mille sexcenti
sexaginta sex pedites ordinantur in longum,
ut nec acies interluceat
et spatium sit arma tractandi.
Inter ordinem autem et ordinem a tergo
in latum sex pedes distare voluerunt,
ut haberent pugnantes spatium
accedendi atque recedendi;
vehementius enim cum saltu cursuque
tela mittuntur.

Publius Flavius Vegetius Rhenanus, *Epitoma rei
militaris*, 3.14.5-8 (M.D. Reeve ed., p.95, ll.10-
23).